

13

IOANNIS AVGVSTI STARCKII
SOCIETATI REG. TEVT. GOETT. ADSCRIPTI
DE
A E S C H Y L O
ET EIVS IMPRIMIS TRAGOEDIA
QVAE
P R O M E T H E V S V I N C T V S
INSCRIPTA EST
L I B E L L V S.

- - Personae pallaeque repertor honestae
AESCHYLVS & modicis instruit pulpita tignis
Et docuit magnunq; loqui nitique cothurno.

HORAT.

GOTTINGAE
APVD VICTOR. BOSSIEGELIVM,
EX OFFICINA SCHVLZIANA. curante F. A. ROSENBVSCH,

CIO CCLXIII.

JOHANNES ALBERTI STURZENEGGER
REGIATAE REIPUBLICAE VINDOBONENSIS
DE
ALBERTI STURZENEGGER

ET FIVE INFERMIS TRACODIA
DE
PROMETHEA
IMPRIMATUR

I. D. MICHAELIS.

...

GÖTTINGEN
VICTOR BOSEHOFFMANN
EX OFFICINA SCHEIDTANNAE & BOSEHOFFMANN
Göttingen



V I R O

GLORIA NOMINIS ATQVE ERVDITIONIS

CONSPICVO

CHRISTIAN. ADOLPHO
KLOTZIO

PROFESSORI PHILOSOPHIAE IN ACAD. GEORGIA AVGVSTA

EXTRAORD. &c.

FAVTORI SVO

OMNI HONORIS CVLTV ET OBSERVANTIA

PROSEQVENDO

MVNVS
PROFESSORIS PHILOSOPHIAE
EXTRAORDINARI
IN HAC ACADEMIA

GRATVLATVS

HVNC LIBELLVM

D. D. D.

IOANNES AVGVSTVS STARCK.



Legenti mihi tragoedias Aeschyli, & cum his eas conferenti, quas ab Sophocle habemus ac Euripide relictas, dubitatio accedit, cuinam horum palma deberetur? Nobilem istam simplicitatem, atque infantiam & morum & artis, quam ubique in Aeschylō deprehendo, satis mirari non possum: immo, quo imperfectior est, & quo accedit magis ad primam tragoediam, laudibus eo & admiratione dignior mihi videtur. Nonnumquam prima rerum stamina placent, atque sicut pictor subridente oculo, primas picturae lineas, quas nondum ars absolvit, videt; ita nobis quoque suave est & incundum eos reuifere, quibus nunc antecellimus, quique omnem fructum a nobis repetere possunt. Si *Sophoclem* lego, felix praedico illud aenum, quod in primis tragici theatri incrementis hunc excellentem & omnibus ferme numeris absolutum poetam tulit: Si *Euripidem*; miror diuinum fere ingenium mortale corpus capere potuisse. Horror me incessit, uti olim Athenienses, in *Eumenidum* Aeschyli lectione: mihi non videor legere amplius, sed ipsis Athenis esse & quinquaginta furias videre. Ioui irascor inique nimis in Prometheus agenti, & caedem Agamemnonis vaticinans Cassandrae carmen, quam



ἡ - - πολίῳ χαλκῷ
 συν Ἀγαμέμνονια
 ψυχῆ, πορευ' Ἀχέρωντος ἄ-
 κταν παρ' ἔυσκιον
 ἠλῆς γυναι,

- - - corrusco aere
 cum Agamemnonia
 anima, mittebat Acherontis et
 pam ad ombrosam
 crudelis foemina. (*)

pectus vehementer penetrat. Triste ibi spectaculum, effossis oculis, suomet ipsius sanguine tepentem, fata exitiosa deplorantem, & miseram filiam Creoni commendantem video Oedipum Sophoclis. Hic eius Orestes manus materno sanguine tingit ac ense in genetricis ilia conuerso patri illatam iniuriam vindicat. Equis Euripidis Hecubam flentem, quis regiam Hecubam ad pedes tyranni proiectam sine lacrimis videre potest? adflat Vlysses immotus,

illi robur & aes triplex circa pectus,
 nec lacrimis nec dolore matris, nec virginis forma commouetur.
 En! ibi est Andromache! - quis hanc scenam ferre potest? stupent omnes spectatores -- luclatur in animis dolor atque horror -- funduntur lacrumae -- tristitia tandem victi, omnes discedunt (**)
 Sic ille, Aeschylus, percellit, alter, Sophocles, excitat, hic, Euripides

(*) Pindarus. πρὸς ΙΑ. 30.

(**) cf. Lucianus de ratione scrib. historiae.



movent; omnes hominum animis dominari didicere; discedunt è scena populo plaudente.

Copiosior forem & extra cancellos, quos mihi circumdedi, egrederer, si singulas singulorum Tragoedias perlustrare, atque quid de eis sentiendum sit, dicere velim. Quare omitto, contentus in praesentia vnico *Aeschylō*, & prima eius tragoedia, quae *PROMETHEVS VINCTVS* inscripta est, de qua agere, quamque inquirere instituiam.

Eorum, qui de veterum tragoediis scripserunt, alii tam caeci fuerunt cultores veterum, vt ipsa eorum vitia cernere non possent: alii contra nostri aevi splendore capti, contemptu quodam ad illos ex alto despexerunt, quos tot tantaque saecula remotos à nobis esse voluerunt. Ex parte vtraque, vti mihi videtur peccata commissa sunt: at illi nimis eruditi, nimia cum antiquis scriptoribus consuetudine in id vitii incidisse videntur. (*) Sed quid de his dicam? à limite fortassis salutarunt graeciam, vbi primo in ingressu, ob linguae morumque discrimen ab vterius progrediendo sunt deterriti. Illi sunt homines nimis religiosi, qui sacrificiorum oblatione nimia non aram & lucum deurunt solum; sed ipsum idolum perdunt: hi, dum idoli cultum student euertere, faciunt, vt ex ipso cinere delubra noua, nouaque sacella exsurgant. O si medium tenuissent, nec *Dacierios* nec *Peraultos*, nec *Dacierias*, nec *Motteos* haberemus!

Aeschylus is est ex *Tragicorum* numero, quem plurimis & *Criminatores Aeschylus* veteres & recentiores scriptores obruerunt criminationibus, vt *Aristophanes* *Stophanes*.

(*) Sic *Dacieriam*, quae, licet mulier, pro virili veteres defendit, ducentes *Aristophanis* nubes perlegisse, accepimus.



Stophanes in *Nubibus & Ranis*; *Athenaeus Deipnos.* Lib. I. p. 22. edit. *Casaub.* *Longinus* de *Sublimitate.* *Plutarchus* *Sympos.* L. VII. p. 715. edit. *Xylandri.* *Quintilianus*, aliique his addendi ex *notis Stanleii* ad vetusti *Grammatici* vitam *Aeschyli* p. 709. 710. *Tragoed. Aesch.* quas *Pauo* edidit. *Rapinus* porro ex recentioribus, *Brumoy*, *Perraultus* aliique. *Agamemnon* & *Prometheus* praefertim accusantur; ille ob nimiam obscuritatem; hic ob scribendi genus, ob mores, ob fabulae constitutionem. Lubens ego confiteor me illum, *Agamemnonem*, non intelligere. Alius fortassis non tam candidus fuisset, & audiens *Agamemnonem* ex difficillimis *Aeschyli* tragoediis esse, se eum intelligere dixisset; omnem operam impendisset, & sudasset, donec didicisset *Phrases* quasdam, vocales & sententias ex *Agamemnone*, quibus sermones exornaret, lectionem huius tragoediae iactaturus. Credisne tales esse homines? Iuro, per *charletanerias* sic dictas eruditorum, esse: vellem tibi monstrare; si liceret. Ego *Agamemnonem* non intelligo: quod cum *Salmasio* (*) confiteri gloriae mihi magis duco, quam ignominiae. *Prometheum* esse, de quo in praesentia acturus sum, iam supra monui.

Rapini reprehensiones in Aesch.

Rapinus optimi alias ingenii homo, & veterum auctorum lectione politissimus, varia aduersus *Aeschylum*, haud parvi momenti ducenda, profert. Quoniam v. ea, in quibus eum peccasse dicit, ex *Aristotele*, vbi hic verum tragoediae, & boni tragici constituit charactera, desumpta sunt; dubium esse non potest, quin, si vero respondeant *Rapini* criminationes, *Aeschylo* demant nobile istud nomen poëtae tragici. Sex autem sunt istae partes ad tragoec.

(*) cfr. *Salmasius* de *Hellenist.* *Dedicat.* p. 37.



goediam necessariae, de quibus ipsum audiamus Aristotelem. Ἀνα-
γνη (inquit) πάσης τραγωδίας μερὴν εἶναι ἐξ ἑκάτ' αἰ ποία τις
ἔσῃ ἡ τραγωδία. Ταῦτα δ' ἔσῃ, ΜΥΘΟΣ, ἨΘΗ, καὶ ΛΕΞΙΣ
καὶ ΔΙΑΝΟΙΑ καὶ ὍΨΙΣ καὶ ΜΕΛΟΠΟΙΙΑ. *Sex sunt istae*
partes, ex quibus constare necessario debet tragoedia, FABULA,
nimirum MORES, DICTIO, SENTENTIA, APPARATUS &
MODULATIO. ()* Nec plures partes admittit tragoedia, nec est
tragicus, qui eas omittit. Atque ex his hausit Rapius, cuius filium
sequemur in poematis peruestigatione. Mores itaque primum
illud sunt, quod in Aeschyle, ex ordine Aristotelis, reprehendit
Rapius. Aeschyle, inquit est nul principe pour les Moeurs & pour Mores;
les bienséances. Morum vocabulum retinet Aristotelis, cum commodius
pro eo characteris vocem adhibuisset; quoniam illud latius patet,
nec tam accurate rem definit, ac characteris vocabulum. Sunt vero
Aristoteli τὰ ἦθη, καὶ αἰ ποίαι τις εἶναι φάμεν τες πρῶτ-
*τωντας. Mores, è quibus tales talesque esse dicimus, qui agunt. (**)*
Latini vero, ut d. HEINSII verbis utar, id quod graeci ἦθος,
dixerunt illi *mores*, quia aliter exprimere non poterant, cum pe-
culiariter, ut recte à Fabio annotatum est, non tam *mores*, quam
proprietas eorum quaedam ista voce designetur. (***) *Mores* de-
inde sunt, apud antiquos, quod in poemate est praesertim confide-
randum, atque ipse *Horatius* poëtae nomine indignos putat, qui
eos feruare nequeant.

Descri-

(*) Aristoteles in Poetica VI. p. 248. ed. Heinsii.

(**) l. c. VI. p. 248.

(***) Heinsius de constitutione Tragoed. XIV. p. 129.



*Descriptas (inquit) seruare vices operumque colores
Cur ego si nequeo ignoroque poeta salutor?*

quod de moribus praeceptum à v. 112 artis poeticae ad v. 125 inculcat, vbi fusius de eis agit. Quae cum ita sint, magnopere id mihi agendum est, vt in hac tragoediae parte, Aeschyli Prometheum defendam. Huius eum vitii perperam arguit Rapinus, potius mores ita seruat, ac si ipsas Aristotelis, ac si Horatii regulas ante oculos habuisset. Boni sunt in eo mores, sunt sibi aequales, sunt inter se conuenientes, i. e. ita sunt comparati, vt ipsam ipsius Aristotelis, qui in hisce tribus rebus morum Veritatem ponit, regulam sequantur. Nunquam suos mores mutat Prometheus, semper est audax, pertinax atque superbus erga Iouem, & quam in principio habuerat, eam mentem in vltimis quoque periculis seruat, vbi ita exclamat:

*Aeschylus
observat
mores.*

Ἦ μητρος ἐμης σεβας, ὦ πάντων

Ἄϊθρη κοινον Φαος ἐλισσων

Ἐσοῦσς μ' ὡς ἐκδικια πασχω.

*O Mater mea veneranda, o omnium
Communem lucem circumvolans aether*

cernis, quam iniusta patiar. ()*

Oceanus, vt fenes esse solent, plenus est morum sententiis & praeceptis erga nepotem, constans, homo in quo adhuc vetusta fides: qui omnia pericula subire non timet, dum amicum modo ex vinculis liberet: lenis est praeterea, nec facile irascitur, aliquoties licet illudatur. Vulcanus vbique misericors: iram vero Iouis timet, huius mandatis obsequitur, huic summam imperii concedit:

Ἐλευ-

(*) v. 1092.



Ἐλευθερος γαρ εἶτις ἐστὶ πλὴν Διος.

Liber enim nullus est nisi Iupiter. ()*

Viris porro poeta non mores tribuit mulieribus conuenientes, nec ignorat virum muliebria non decere. Sic Nymphae sunt, vt virgines esse solent, verecundae, noua sciendi cupidae, piae, religiosae, misericordes, facile erubescunt, facile ad fletum perduntur.

Φοβερά, inquit chorus virginum, δ' ἐμοισιν ὄσσοις

Ομιχλῆ προσήξε πληρῆς

Δακρυῶν, εἰσιδῶσθ' σὸν δέμας

Πετρᾶις προσαναίγνομενον

Ταῖς δ' ἄδαμαντοδέτοισι λυμαῖς.

- - - *Horrenda meis oculis*

Irruit caligo plena

Lacrumarum, cum adspexi tuum corpus

Ad petras consumtum

*Adamantina hac pernicie. (**)*

Vis & Robur sunt feueri Iouis, ministri, crudeles, impetuosii, & animus eorum

Est semper immitis & audaciae plenus:

Et similia formae garrit eorum lingua.

Aes

(*) v. 50. Scholiastes Aeschylis vocem ἔλευθερος per ἀρχῶν exprimit. Hinc fortassis illustrari potest locus Pindari Ολυμπ. IB. vbi ἔλευθερίε vocabulum occurrit, ibique vt hinc con iicio, & contextus postulare mihi videtur, non pro cognomine Iouis, vt placuit ex antiquariis quibusdam, sed pro adiectiuo habendum est, quo Ioui summo coeli fessori imperium in omnes & summa vis tribuitur.

(**) v. 144.





Αει τε δι νηλιν καὶ θρασυς πλεως
 ἔμοια μορφη -- (αὐτῶν) γλωσσαι γηρευεταί (*).
Mercurius serviles habet mores: grandiloqua sunt verba eius &
confidentiae plena, vti decet deorum ministrum.

Σεμνοσυμος γε καὶ φρονιματος πλεως
 ὁ μυθος ἐστίν, ὡς θεων ὑπηρετε (**).

Haec sunt discrimina personarum natiua in Prometheo Aeschyli, quae, cum mihi eorum pauca tantum licuerit adducere, per plagularum angustiam, ipsum poetam legenti magis apparebunt. At vero, quis est character Iónis? Valde, confiteor, imperfectum & vitiosum esse hunc characterem, atque in hoc laudaturus Aeschylum, non solum vero parum studebam, sed & poëtae & mihi parum prodessem, licet totum Epifodium, in genere spectatum ex optimis sit & pulcherrimis; quod unusquisque facili negotio perspiciet etiamsi non legerit scenam Cassandrae in Agamemnone & Aiace in Sophoclis. Caeterum characteres in eo ita comparati sunt, ut vix in eis quidquam desiderari queat. Hoc vero utrum paucitati personarum, an arti poëtae tribuendum sit, aliis diiudicandum relinquo. Sophoclem & Euripidem scimus saepe, Senecam semper, Plantum interdum, Terentium fere nunquam contra mores peccasse. Referre etiam solent critici ad mores, seu potius εἰς τα ἀρετῶντα Religionem & quae ad eam spectant. Quare et *Curius* in notis ad versionem germanicam poeticae Aristotelis excusari non posse Aeschylum putat, quod in tragoedia quae *VII contra Thebas* inscribitur, Persae graecos deos colant,

Character
 Iónis.

Religio.

(*) v. 42. 78.

(**) v. 952.



colant, vt Iouem, Neptunum, Mineruam. Inconueniens quidem hoc est, non ita vero, vt nulla ratione nequeat emendari, praesertim cum omnia, quae de religione Perfarum dici possunt, pro temporum ratione valde distingui debeant: non, quod sacris graecorum perfas fidem dedisse velim affirmare, sed quoniam non perfas semper vnus tantum dei cultum seruasse, verum degenerasse eos & ad plurimum numinum venerationem declinasse, ex monumentis orientalibus probare non difficile erit, Zabiorum praesertim ex religionibus. Sed haec iam relinquo, quoniam huc non pertinent. Vrgeri potius *Aesebeta* potuisset in Prometheo, de qua disertè agit *Plato de Republica* Lib. II. p. 391. edit. de Anno 1534. & *Aelianus in Var. Hist.* Lib. V. p. 350. Edit. T. Fabri. At vero si impius est in hac tragoedia, quod non nego: tamen non facit, quod non ab aliis, vt ab *Homero*, *Pindaro*, *Euripide*, aliisque, quibus superfedemus, factum sit, ex quorum exemplo quomodo sit defendendus, quaque ratione eiusmodi locutiones impiae explicandae sint, docet *Plutarchus* in egregio libro *de audiendis poetis* Cap. II, IV, V. cui addi potest *Du Port* in *Gnomologia Hommerica*. Et quare tandem ob id bono irascamur Aeschilo, quod ab ipsis nostris poetis saepissime committitur? Quis impios obsermones Satanae & Iudaeorum, quos suo poemati intexuit Klopstockius eum *Aesebetae* accusabit? Quis Lessingium, Croneckium, Voltairium, & auctorem tragoediae, quae *der Frei Geist* inscribitur? Non ignoro, esse, eiusmodi sermonum seueros & rigidiores censores; sed fortassis magis est horum hominum mens ad componendam ecclesiasticam cantilenam accommodata, quam ad iudicium de poeta ferendum, qui



Intaminatis fulget honoribus
 nec sumit aut ponit se: ures;
 Arbitrio popularis auræ;
 Sed plebi -- negata tentat iter via;
 Coetusque vulgares & vdam
 Spernit humum fugiente penna.

Haec de moribus dicta sunt: Progredior iam ad id, quod cum moribus quam arctissime est coniunctum, fabulam nimirum, quam in Aeschylō nimis simplicem & vnam putat Rapius. *Ses fables*, *Rapius* notat fabulam in Aeschylō. inquit, *font trop simples*. Fabula caput est & pars praecipua in tragoedia, ea omnia in tragoedia generat atque producit, actionem, personas, implicationem & solutionem, mores, quid quod ipso affectus. Quapropter recte iudicat Aristoteles, cui est *ἀρχὴ καὶ τέλος ψυχῆς τῆς τραγωδίας ὁ μῦθος, δεύτερον δὲ τὰ ἤθη*. *Primum & quasi anima tragoediae fabula est, alterum vero Mores* (*) Characterem aliquem generalem sibi fingat poeta necesse est: Sic est Achilles character praecipuus Iliadis Homeri, Oedipus in Sophoclis Oedipo, apud Virgilium Aeneas, apud Aeschylum in Prometheus Prometheus. At vero non fabula, ex qua tragoediam conficit poeta characteri, sed, ut puto, character fabulae originem debet. *Μῦθος* primis temporibus vnamquamque orationem significabat; ita saepissime est apud Homerum: narrationis deinde & falsae quidem induit significationem, vnde fabularum nomen ad poetarum narrationes translatum est.

ἡθάρ-

(*) cfr. Poetic. Cap. VII. p. 259.



ἢ θαυματα πολλα
και πε τι και βροτων φρενας
υπερ τον αληθη λογον
δεδαϊδαλμενοι ψευδεις ποιηλοις
εξαπατωντι μυθοι.

*Certe mirabilia multa
Et nunquam etiam hominum mentes
Supra veracem sermonem
Variegatae mendaciis variis
Decipiunt fabulae (Pöeseos nimirum gratia.)*

vt *Pindari* verbis utar ex *Ολυμπ. Α. v. 43. sqq.* Quoniam vero apud veteres Poetarum narrationes erant ex quibus petebantur tra-goediarum argumenta; *μυθος*, ipsa dispositio & materia tragica, dicta est. De Fabula tria dici possunt, quae qui obseruat, bonus sane poëta, quoad hanc partem poëmatis, dicendus est: sit nimirum *simplex*, sit *implexa*, sit *vna*: atque in quantum haec ab *Aeschylō* sint obseruata, iam nobis videndum est. Simplex est ^{*Fabula simplex.*} fabula, quae vnum tantum habet subiectum, vt ita loquar, & nulla alia re intexta ad finem perducitur continua. Licet hoc fabularum genus optimum sit, in peius tamen degenerare potest facile, ni omnem, quamcunque modo callet, artem adhibeat poëta, vt fabulae suae consulat. Fabula *Promethei* simplex est: *Prometheus* ob nimium amorem erga homines *Caucaso* adfigitur, atque ob contumaciam & malos aduersus *Iouem* sermones ad ima terrae deiicitur. Sat materiae in se continet haec fabula, tantumque, vt epifodium, dum mores modo mutantur paullulum, non opus sit intexere.



texere. Quid? si Aeschylus Prometheus finxisset ob hominibus collata beneficia Caucaſo affixum, fortis quidem aliorum non ignarum, at vero ſuimetipſius; incredulum inſuper, & plenum audacia & temeritate aduerſus Iouem: erga homines propenſum, omnium irriſorem, inſolentem & contumacem: talem ſi ſibi finxiſſet, tragoedia ſimplex ſimul fuiſſet, & intricata, atque omnibus numeris abſoluta. Animus beneuolus Promethei, quem erga homines habebat, atque diri quibus ob id ſubiectus erat, cruciatus, hominum ipſi miſerationem conciliaſſent. Fati de ſe decreta incredulus odiſſet, & hoc ipſe ſenſim fabulam implicaiſſet, donec fulminis ictu & tonitru ad iram concitatus Iupiter nodi vindex exiſteret. Sic ſimplex fabula conſtituiſſet poëma, immo perfectius fuiſſet, quam nunc eſt, licet epifodia habeat. Promethei character epifodiorum vices ſubiſſet, quorum eſt vel neſtere, vel diſſoluere nodum, vt

Fab. implexa. non multo poſt explicabitur. *Implexa* eſt fabula, quae adhibita aliqua mutatione & innexa alia materia ad finem perducitur. Errant vero, atque ipſum *Ariſtolelem* (*) eximere nequeo, qui partem aliquam neceſſariam fabulae implexae agnitionem dicunt, ſeu mutationem aliquam in contrarium. Locum habent, non nego, tales *ἀναγνωριμοί* & *περιπατεῖαι*, in multis comoediis & tragoediis, vt in omnibus Terentii, in quibusdam Senecae, e. gr. in Thyeſte, in Sophocle, e. gr. Aiace, Oedipo aliisque, quid? quod agnitionem & in contrarium mutationem aptiſſimum eſſe nodi vindicem iudico, qui omnia non vno ictu ſolum diſſecat atque diſſolit, verum etiam ſpectatorum animos, diu exſpectatione laſos, ita per-

(*) *Poetic. Cap. XI.* -- *πεπλεγμένην τε ἐξ ἧς μετα ἀναγνωρις, ἢ περιπατεῖαις ἢ ἀμφοῖν ἢ μεταβασις ἐστίν.*



percellit, vñ nihil supra. At vero, bone Deus, quot sunt fabulae implexae, quae absque hac agnitione & mutatione in contrarium, soluantur! Ipse *Cronickii Codrus* pro me loquitur, cui nemo optima Tragoediae nomen denegabit. Atque quoties in simplicissima fabula, agnitio aliqua est pars praecipua? Illud vero, quod fabulam praefertim implexam reddit, sunt Episodia: haec multum ad tragoediae praestantiam conferunt, vt totum Homeri poemata probat, quem vt vere tragicum imitatus est Aeschylus: Sed sint tam arcto vinculo cum praecipua actione coniuncta, vt nihil sine poematis detrimento detrahi possit. Bonus enim poeta

- - - - - quae
Desperat tractata nitescere posse relinquit.

Sophocles mihi in hac arte princeps est, & multo aliis & vetustis Sophoclis
 & recentioribus perfectior, vt vnicum, quod ex Oedipo defum- Oedipus
 si, exemplum fati probabit. Optimus princeps est, quem nobis examina-
 Sophocles pingit, Oedipus: felix atque ex parua illorum numero, *zur.*
 quos singulari modo providentia, & non communi fortuna ad
 summos honores euexit. Vnica eum dolore afficit & sollicitum
 reddit pessilentia Thebana: mittuntur Delphos legati; referunt
 oraculi responsa, docentia, quomodo malis subueniat: Nihil huc
 usque de Oedipo timemus. Accersitur Tiresias, vates Apollinis,
 vt explicandis obscuris dei essatis, malorum remedia doceat. Ve-
 nit - eius

Φευ Φευ - - Φρονειν ως δειων ενθα μη τελη
 λυει φρονεντι ταυτα γαρ καλωσ εγω
 Ειδωσ, διαλεσ'. Ου γαρ εν δευ' ινομην

Hei!

C





Hei Hei! quam graue est supero ubi non expedit

Sapienti: Haec enim cum probe scirem

*Perii: Neque huc venire debui. *)*

Et illud:

Αφες μ'ες ὄκτας: βρασα γαρ το σον τε σε

Κάγω διοισω τ'εμον ἢν ἐμοι πιθη.

Mitte me! - - facillime enim tu tuum

*Et ego meum dolorem feram, si mihi obtemperaueris. (**)*

iam mali quid de Tyranni persona faciunt, vt suspicemur. Sed explicandi nondum opportunum erat tempus, implicandi potius, vt dubium, suspensum & euentus cupidum teneret spectatorem: Solutionem enim scenae epifodicae reseruaueret poeta, hac meliori. Fabula in tragoedia & personae character is quidem est, vt ea absque epifodio bona quaque esset & absoluta: at vero intexit fabulae epifodia, & ita quidem, vt iam nec demum possint, nec mutari, nisi tota peruertatur tragoedia. Quale est Tiresiae Epifodium, rixa cum Creone, Jocastis studium fratris & mariti animos reconciliandi, scena hospitis corinthiaci & pastoris Laü, vbi tandem dissecatur nodus, atque Oedipus, vel fulminis ictu rei veritate percussus ita fatur:

Φευ, Φευ' τα παντ' ἀν' ἔξικοι σαφῆ.

ὦ Φως τελευταιον σε προσβλεψοιμι νυν

Ὅσις πεφασμαι Φως' ἀφ' ὧν ἐ χρεην, ξυν εἰς

τε χρεην μ'ὀμιλων, ἐσε μ'ἐν ἔδει κτανων.

Vae!

(*) Oedip. v.

(**) v.



*Vae! Vae! iam manifesta tota res est! -
O Lux! iam te extremum adspicio,
Qui natus sum, ex quibus non me oportuit, & cum quibus,
Non oportuit habito, & quos non oportuit interfeci.*

Aurea sane haec est scena, aureus totus Oedipus. Hunc legat, qui commoveri, qui flere, qui horrore percelli, qui ad extremam moestitiam proripi velit: non tristitia adficietur solum; sed in ipsa ea voluptatem ponet. Non possum non confiteri ab hac venustate Sophoclis multum abesse Aeschylum; sed cum Rapino negare, simplicem simul esse & implexam eius fabulam, temeritalis foret. Immiscet tragoediae Aeschylus episodica, id quod neminem, qui eum legit, fugiet: ex quorum numero est aduentus Oceani tristem nepotis sortem deplorantis, ubi se Iouem inter & Prometheus arbitrum offert: sed non eo vitur, ut facile potuisset. Ex quo non tam ab ingenio abfuisse poetam apparet, quam ab arte potius & dexteritate omnia in suum usum conuertendi. Quam enim hoc Episodium arctissimo vinculo cum tota constitutione tragoediae coniunctum fuisset, si agendi facultatem habuisset Oceanus; nunc, ubi nihil agit, ipsum episodium, fere non necessarium est; satis tamen pulerum, immo licet finem suumque scopum non obtineat, est τῶν Ποσειδῶν & τῶν Ἐλευθῶν generitrix. Idem dicendum est de eo Iōnis: videtur tamen magis necessarium ad nodi solutionem. Nam cum Iōni fata futura declarat, atque simul nuptiarum mentionem facit, ex quibus futurus sit, qui Iouem imperio exuat, reddit Iouem sciendi cupidum, quaenam istae sint nuptiae, quique inde ei exitialis filius? quod cum ei indicare no-

lit,



*Vnitas
fabulae.*

lit, potius coram Mercurio male de Ioue loquatur, vltimis miseris afficitur. Caeterum quoad mores & personam Iönis stultum est Epifodium &, si coram populo acta est tragoedia, barbarae magis genti, quam politiori conueniens. Sed infra hac de re pluribus. Restat mihi adhuc *vnitas* fabulae paucis commemoranda. Habuisset hic Rapinus, quod in Aeschlylo vituperaret; omisit vero, ac vt suspicor non lenitate & indulgentia; sed negligentia nimisque festinatione. Secundum eorum, qui de tragoediae constitutione leges tulerunt sententiam, triplex est *vnitas*, *actionis* nimirum, *loci*, & *temporis*. Non credo quemquam postulaturum, necessariam esse, vt probem, actionem, vbi est *vnitas* actionis, locum vbi loci & tempus constitutum, vbi *vnitas* temporis esse debeat. Sane si quis hoc flagitaret in Aeschyli Prometheo, non haberem, quid respondeam: dicam tamen vno verbo: nulla omnino est actio in toto Dramate. Magnuni hoc est vitium, nec dramatis nomine dignum est poëma, a quo actio abest. Ex prima scena omnem originem ducit hoc malum, qua heros loco affigitur, vbi nihil agere potest, quam quod amiculis permittimus, mala lingua & nocua loquacitate pericula sibi contrahere. Atque vbi ipsa natura agentem personam poëtae offerbat, Oceanum, impedit malo Promethei sermone, sibi que demit, quod dramati actionem, & cum actione egregiam pulcritudinem & omne decus tribuere potuisset. Unicum illud in nostro laudandum est, in quo germanorum tragens in Codro peccauit, observatio nempe *vnitatis* personae quae soror est *vnitatis* actionis. Loci & temporis *vnitas* nimis anxie studet, cuiusque est auctor & inuentor. Quum enim

tra-



tragicum hymnum nimis profunderent atque funebria Bacchi seu Osiridis (*) spectacula per duodecim dies celebrarent, vti in *Nyssa* factis apud Aethiopes factum est, atque vnde comoedias suas Chinenfes habent, quae XII. dierum spatio absoluntur (**): Aeschylus in paucarum horarum limites redegit tragoediam. Silentio tamen praeterire nequeo vitium, quod vnius originis est cum perpetuo personae otio, nimiam vnitatis loci obseruationem. Nemo enim vere casu quodam, seu ex improviso venit ad Caucasum, ars vbique adparet, omnes a poeta in vnum locum coguntur quasi spectatores malorum Promethei. At vero fortassis sua sponte in hoc vitium incidit, monstraturus posteritati, Deos & Heroas iis temporibus tam cupidos fuisse noua audiendi & videndi, ac nunc est vulgus. Sperari igitur potest ex curiosulorum numero hac in re Aeschylus defensores olim futuros.

Venio tandem ad fabulae dispositionem, quam omnibus aliis *Dispositio* poeseos veneribus longe praefereendam esse iudicat *Plutarchus in fabulae.* *libro de audiendis Poëtis*, ubi ita disputat: *οὔτε μέτρον, οὔτε τροπος, οὔτε λέξεως ὄγκος, οὔτε εὐκαιρία μεταφορας, οὔτε ἀρμονία καὶ συνθεσις ἔχει τοσαύτον ἀιμυλιας καὶ χαριτος, ὅσον εὐπειρομένη διαθεσις μυθολογιας.* Neque numeri, neque verborum imutationes, neque dictionis maiestas, neque translationis opportunitas neque concinnitas & compositio tantum habet blanditiae at-

(*) Loquor hic ex graeculorum commentis, qui Bacchum ab Osiride non esse diuersum putabant: quae traditiones & magnum *Spanhemium in libro de usu & praest. Numism.* T. I. p. 280, ad nomen Nicaenum Iuliae Angustae de coniugio Bacchi (Osiridis) cum Iside explicandum, perduxerunt. Sed de hac materia alio loco, (***) sct. *Brumoy theatre des Grecs.*



que gratiae, quam fabulae apte connexa dispositio. Cum enim tota tragoedia cum praecipuum finem habeat, ut moveat affectus; hi vero melius & moveri & stimulari nequeant ipsa affectuum representatione; omnia ex ordine & bona fabulae dispositione, qua modo luduntur spectatores expectatione, modo excitantur & attentum redduntur; temporis unitas, omnes affectus, personae atque nodi implicatio, explicatio & finis tragoediae, pendent. In quo autem ordo consistat docet *Horatius in Libro de Arte Poet.* ubi ita:

*Ordinis haec virtus erit & Venus aut ego fallor
Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat & praesens in tempus omittat.*

Aeschylum secundum hanc regulam egisse, affirmare non ausim: confiteor potius cum *Rapino*, malum esse poematis ordinem. Vulcanus enim iam initio scenae omnia ferme futura mala Prometheo praedicit & istum deum nondum adparuisse, qui ex vinculis eum sit soluturus commemorat. Sed quid, si aliter possint explicari haec verba? Non nego: imo Vulcani verba aliam possunt habere, interpretationem, ex Mercurii sermone in fine tragoediae si ea velis interpretari, ubi dicit, Prometheo nullum esse malorum finem expectandum,

*πειν ἂν θεῶν τις διαδοχος τῶν σῶν πόνων,
Θαυνὴ Δελήση τ' εἰς ἀνάσγητον μόλει*

Ἄδην, κνεφαίωτ' ἀμφὶ Τάρταρος βαθεῖ.

Priusquam deorum aliquis successor tuorum laborum

Adpareat, velitque ad non illustrabilem descendere

Oreum, & ad tenebrosa Tartari profunda.

quod idem est, ac si dixisset; nullus omnino erit tuorum laborum finis; nunquam erit enim, ex diis, qui omnes tibi male cupiunt, qui

qui ut exsoluat te tuas velit vices subire. Fauent vero conuulsi ex-
plicatione veteres Scholiastae, qui *μυσμον* aliquid verbis Vulcani
inesse volunt. Sermo ibi est de Hercule, de quo ipse Prometheus
ad Iōnem loquitur & suam per Herculem futuram liberationem
vaticinatur. Huc quoque pertinet nimia futuri scientia in Prome-
theo, qua non ipsum non solum dubium tenet poeta; sed specta-
torum expectationi male consultit, turbata porro actio Oceani,
ordini poematis aduersatur. Atque ut vno verbo dicam, ordinem
praesertim peruertit, quod ea in initio tragoediae dicat, quae di-
cenda fuissent vergente ad finem Dramate. Hinc non dubium
est, quin omnes affectus, qui fons sunt & scaturigo vnde ordo
omnis est hauriendus atque in quem iterum se effundit, scena exul-
lassent, nisi dictione eis quodammodo subuenisset, quam nunc
persequemur.

Cum Tragoedia, Aristotelis iudicio, emendatum sit, atque *Distio.*
expolitum carmen epicum, cum tragicus de rebus agat non mino-
ris momenti, atque eum in finem, ut erudiat, ut delectet, ut mo-
ueat spectatorem atque percerrat: id operam det Poeta necesse est,
ne transfiliat ipsam carminis epici sublimitatem, vbi paullo leuior
esse debet, nec ad comicum stilum descendat, nec lenibus iambis
exprimat sermones deorum & heroum facta, quae

- - non iocosae conueniunt Lyrae

sed metrum poscunt longe sublimius. Semper personarum, loci
& temporis rationem habeat, medium teneat, nec
dum vitat humum nubes & inania capiet.

λεγειος, inquit igitur Aristoteles, *Ἀρετή, σωφία καὶ μὴ τραπεζικὴ*
εἴδος.



ἐν αὐτῇ Διόσιον ἡ βία. Virtus est, ut sit dilucida nec humili-
 lis tamenid (*) Rursum, saepe tollerent equites, peditesque,
 si serio & grandi sermone, blandae amicae iustoria verba, ve-
 lit proferre. Nonne nausam moueret atque fastidium, si magnas
 res plebsia oratione decantaret? Moribus & Scenae consulat, ita
 tamen, ut tragicum loquendi genus obseruetur, quod licet a natu-
 ra turgidum sit, ita tamen comparatum est, ut nimius in eo tumor
 ferri nequeat, utque ea in contentum abeant derisumne, quae pri-
 ma fronte terribilia videantur. (**). Omnia ferme hac in parte
 Aeschylus debet theatrum tragicum. Nihil ferme scimus de tem-
 poribus a Thespide ad Aeschylum: hic tamen magis prospexisse
 videtur verum tragoediae scopum, siue expoliuisse potius quod a
 Thespide mutatum erat tragoediae subiectum. Nam cum ille non
 minus quam Phrynicus & Chorilus, itinera Bacchi carmine cele-
 braret tantum, obitumque amici generis humani, ut in Osiridis sa-
 cris apud Aegyptios factum est (***) , iugeret: hic non solum ma-
 teriam fabularum mutauit, sed quoque dictionem,

Et docuit magnamque loqui nitique coturno.

Iam vero qua fortuna poeta nosse hac via processerit videamus.
 Paria habuit fata Aeschylus, cum multis poetis, seu ut verius di-
 cam cum iis poetis, qui rarius nascuntur & a paucis leguntur &

(*) Art. Port. Cap. XII. p. 296.

(**) Longinus de Subl. Cap. III. Ὅπερ δὲν τραγωδία πραγμα-
 ματι ὀγκησὸς φύσει καὶ ἐπιδεχομένη συμφορὰ ἕμως το πα-
 ρα μέλος οὐκ ἄστυγνῶστον ὅλην γὰν οἰκαὶ λόγοις ἀλη-
 θινῶς ἀρμῶσειεν. Et ibidem paulo ante: Ἐκ τῆς φοβερῆς

καὶ ὀγκῶν ὀπλοῦσι πρὸς το ἔνκαθροντινι
 (***) Herodotus, p. 65, edit. Stephani.

intelliguntur. Lenioribus ingeniis, & iis, quibus non dedit Phoebus maiora sentire, & in sacrum adytum ingredi, ea tantum placent, quae humi repunt, & leniter & placide fluunt, a diuini impetu non animata. Sic plures fautores habent carmina ista Horatii, quibus Amores & Bacchi gaudia canit, ut: *Parcius iunctas quatiunt fenestras* &c. *o nata mecum, consule Manlio* &c. *donec gratus eram tibi* &c. quam ea, quibus deorum facta & res humana forte maiores celebrat. Magis placet Theocriti, Moschi & Bionis molle & suave Idyllion, quam istud turgidum Lycophrontis poema: maior est eorum numerus qui dulcedine Anacreontis, quam Pindari sublimitate delectantur, & plures sunt, qui legentes Aristophanis comoedias videre, quam Aeschyli tragoediis commoeri atque percelli malunt. Quare non desuerunt Aeschylo iniqui censores, qui eum aures magis laedere, quam animum mouere, & magis grandiloquum, quam vere sublimem esse dixerunt. *Parce qu'il croit* inquit Rapinus, *quo le Secret du Theatre est de parler pompeusement, il met tout son art dans ses Paroles, Sans se Soucier des Sentimens.* & non multo post: *L'Expression* (d'Elchyle) *est obscure & embarrassée.* Paulo aequius est Tanaquil Fabri iudicium, qui in libro *de poetis graecis* ita de Aeschylo scribit: *La Hardiesse de ses Epithetes est telle, qu'il est impossible de les représenter en notre langue sans lui faire de violence.* Ex quo quidem apparet audaciam poetae arguere Fabrum, sed tantum ratione linguae gallicae. At vero non nostri aevi tantum scriptores; sed fuisse ex antiquissimis qui eandem in Aeschylo vituperarunt audaciam, uti Aristophanes in cuius *Nubibus* hanc de Aeschylo sententiam Simonididis, profert Streptiades:

Eyo

D



Ἔγω Ἀρχυλον νομιζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς
 ψοφὸς δὲ πλεον, αἰσυσάτων, σομοθακά κρημνοποιον. (*)
 Ego Aeschylum primum puto in Poëtis

Strepentem tamen, incompositum, insuauem confragosum.

Atque Ἐπιβρομετην fuisse Aeschylum in initio Promethei, notat Scholiastes, ad *Ranas Aristophanis AEF. IV. Sc. 2.* vbi hic verbis tumentibus tumorem Aeschyli perstringit. Sed, bone Deus, num Aristophanes is est a quo iudicium de poetis ferendum, a quo, quod sit bonum atque probatum scribendi genus, discamus? Num huic fidem habebimus, cui non fuit difficile Satyram in ipsum Socratem, & si de tragicis sermo est, in ipsum Euripidem euomere? Num in re, vbi de sermonis elegantia, vbi de constitutione tragoediae, de poeseos nitore, de regulis Theatri agitur, num in tali re iudex esse potest homo, cui praeter malam & mordacem linguam parum inest dexteritatis & pulcritudinis, & cuius corruptus gustus monstra & portenta in scenam producit? *Aristophanem*, inquam, de quo ipsa Daciera confitetur eum adeo impudicum esse, vt sine rubore & aurium offensione legi nequeant eius comoediae? hunc elegantiae iudicem constituemus? Sed testes - - Recte, si ad testes prouocamus, tot stant a partibus Aeschyli, quot habet commilitones Aristophanes: immo multi ex iis, qui grande & nimis sublime genus scribendi in Aeschylo reprehendisse videntur, & eummero plenum poematia sua composuisse scribunt, vti *Athenaeus Lib. I. Deipnosoph. Plutarchus Sympos. Lib. VIII. 75.* non vituperant poetam, seu laudant potius. Audiamus ipsa Plutarchi verba.

(*) Nubes, v. 1369.

πολλοῖς, inquit, ἰταμύτητα θάρσος συνερχόν ὁ ἀκρατος, ἐνδὲ
 βέλυσαν ἐνδὲ ἀκρατον, ἀλλ' ἔυχασιν καὶ πιδανὴν προστίθησι.
 ὡς περ καὶ τὸν Ἀρχύλον ἰσοῦσι τοῖς τραγωδίας ἐμπύοντα ποιεῖν.
 & λ. Multis quoque proteruitatem, qua audacia solet adiuvari
 merum inserit, non impudentem eam neque commodicam, sed gra-
 tiosam & probabilem. Sic etiam Aeschylus dicitur, potius scripsisse
 suas tragodias, &c. Laudat porro idem auctor alio loco nostrum,
 & quidem propter ipsum sublimē scribendi genus, quod splendo-
 rem aliquem Atheniensibus parasse dicit: ita scribit in *Libro de*
gloria Atheniensium. p. 348. Edit. Xylandri: τὸ Ἀρχύλος ἔμακα
 τὶ τῶν δυσχερῶν ἀπῆλλαξεν, ἢ τὶ τῶν λαμπρῶν περιεπόησεν.
Aeschyli grandiloquentia perinde vel aduersitatem aliquam depulit,
vel splendorem parauit Atheniensibus. Sed quoniam ea, quae ad
 stilum pertinent, melius explicari & exponi nequeunt, quam ipsis
 exemplis, pauca proferemus, & talia quidem, quae maxime feri-
 re putamus delicatulas istas aures hominum. Statim in initio sce-
 nae, cruciatus Promethei ex ardore solis quo vixandus erat descri-
 pturus, poeta ita coquitur:

- - - σαφύτος ἤλις Φοιβη Φλογί
 χροιας ἀμειψας ἀνδρος.
 - - - τοσφύς φερνίδα σολίς φλμμα
 coloris florem mutabis.

Dura verba sunt - - nonne? Mihi non adeo dura sonant. Alii
 quoque scriptores vocem ἀνδρος, quae *florem* proprie indicat, de
 colore accipiunt: Sic *Oppianus* *Kυνηγ. Lib. III. v. 39.* de leonibus
 in desertis Lybiae ita canit:

πᾶ.



πᾶσι τε γούσι
 Ηἴκα μέλαιν Κουναίο Φερεῖ μεμορσγμενον ἄνθος.
 omnibus autem membris

Subnigrum fusco fert temperatum florem.

Similis ratio est vocabuli ἄνθων, quod *florem* etiam significat, verum vario modo a graecis vsurpatur. Sic apud *Pindarum*.

Μυσικός ἐν ἄνω

Mysicae in flore

de Oda intelligendum est secundum vetustissimam *Scholiam*, cum quo conferendus est *Hymnus Anacreontis in Apollinem*. v. 4. Ex quibus exemplis adparet nullum inesse tumorem huic Aeschyli sermone. (*) Neque ita multo post calamitatem suam deplorat Prometheus oratione quam omnes, qui vllum vnquam sensum sublimitatis habent, non tumidum sed e pulcherrimis esse iudicabunt: Non sublimis tantum est, sed etiam plena acuminis & Satyrae, cum elementa inuocat, testes suorum malorum, nulla ratione habita Deorum ita loquitur v. 88.

ἀ δὲς Αἰθήρ καὶ ταχυπτεροὶ πνοοί,
 ποταμῶν τε πηγαί, ποταμῶν τε κόμασσαν
 Ἀηεθμον γέλασμα, παμμήτης τε γῆς
 καὶ τὸν πᾶσι πᾶσι κυκλον ἡλίου κάλω.
 Aether diuine, & flatus celeribus alis,
 fluiorum fontes. marinorumque fluctuum
 innumera crispatis & terra omniparens,
 inuoco etiam solis orbem omnium spectatorem.

At

(*) Addi potest his locis *Philostratus Heroic*. L. II. 195, vbi Ἄνθος quoque de *comis* vsurpatur. Videntur *Olearius* ad *Philost.* pluribus.



At vero tumoris suspensionem haberent ista verba, ubi furtum ignis ita describit v. 109. *Ναυθηκοπληρωτον δε θηρωμαι πυρος ΠΗΓΗΝ ηλοπαιαν η διδασκαλος τεχνης πασης βροτοις πεφουκα και μεγας ΠΟΡΟC.* Omnia ista, quae offendere aures possent, in duobus verbis posita sunt, cum solem, siue ignem ΠΗΓΗΝ vocat & ΠΟΡΟΝ.

Et quod deperem ferula conceptum ignis

Fontem furtivum, qui magister artis

Omnis & hominibus magnum vestigal.

Non videtur solum ista locutio plena esse tumoris, sed etiam a communi genere dicendi abhorrere, imo ab ipsa natura recedere; quis enim solem, fontem unquam vocabit? Notandum vero hic est poetam nostrum non omnem suam vim, in sublimitate ista ponere voluisse, quam hic locus praesertim habet, sed linguam loqui theologorum graecorum & philosophorum, faculam huic loco accendet Hymni istius primii versus, quem *Proclus* philosophus in solem composuit, ubi ita canit:

Κλυθι πυρος νερε βασιλευ χρευσθιε τιταν

Κλυθι Φαιουc ΤΑΜΙΑ, ζυαρρεc ω ανα ΠΗΓΗC

Αυτοc εχων κληιδεc και θλαειοc εν κοσμοιc

θλαθεν αεμοονηc () ζυμια πλεσιον εζοχετευων.*

Audi ignis liberi rex auratis habens Titan

Audi lucis dispensator, rex fontis vita sufficientis

Ipsē habens sedem & in Silvestris ornatibus

Ex alto Harmoniae impetu abundans efficiens.

Addo

(*) Ita restituit lectionem Olearius, cum olim male scriberetur *Αεμεινc.* uti expressum est in *Lectione collectione Poetarum Heroic.*



Addo his adhuc istum locum, vbi Atlantis miserias describit, & ob eum totam naturam lugentem inducit. v. 430.

- - βοα, inquit, - - ποντιος κλυθων

Ζυμπιτινων σενει βυθος

Κελαινος δ' αιδος υποβοημει μυχος

Γαα, παγαυι & αγγυοβρυτων ποταμων

Στεινσιν αλγος εκτρον.

mugit - - marinus fluctus

Collisus suspirat. fundus

Et ater orci secessus fremit

Subter terram fontesque sumiorum limpidorum

Deplorant dolorem miserabilem.

Non minus grandis est & sublimis iste sermo Thyestis apud Senecam, vbi in haec verba erumpit, vbi modo filiorum carnes comedit:

Vix lucet ignis ipse quin acther grauis

Inter diem noctemque desertus stupet.

Quid hoc? magis magisque concussi labunt

Connexa coeli: Spiissor densis coit

Caligo tenebris, noxque se in noctem abdidit,

Fugit omne fidus. - -

Ad eiusmodi sublimes in Aeschlyo locutiones referri potest quoque Aetnae aestus, de quo ita fatur poeta: v. 466.

- - 'Ev-



Ἐνθεν ἐκτραγῆσονται ποτε
ποταμοὶ πύρος δαίπτοντες ἀγριαὶς γνάθοις
Τῆς καλλιμαεστές Οὐκελίας λευγαὶς γυαῖς.
- - - unde olim cum fragore erumpent
fluvii ignis feris maxillis vorantes
feracis Siciliae arua spatiosa.

Iis vero, qui huic loco succenseant respondebit Horatius, qui simili modo canit in *Carm. Lib. I. Od. I. 31.*

- - - quae liris quicta
mordet aqua.

Et *Carm. Lib. I. XXII. 7.*

- - - quae loca fabulosus
lambit Hydaspes.

Spero, fore ut huic non adeo succenseant atque ob hunc paullo aequius iudicium de Aeschylō ferant delicatuli isti censes. Possent his exemplis innumera alia addere ex ipso nostro poeta, atque ea similibus locis aliorum poetarum defendere & probare: Sed omitto: nolo enim totum exscribere Aeschylum. Neque multum iuvat, de eo disputare, quid placeat, quidue non placeat. Habeant sibi suas delicatas auriculas homines isti molles, indulgant suo genio, & absint a cantu deorum, quibus maiora sentire, non dedit Phoebus. Nobis bene iam carminibus Aeschyli prouidisse videtur deus, cum ea nostris temporibus superesse noluit, in quibus Niobe ad tertium vsque diem obnupto vultu insidens liberorum sepulcro nihil loquitur (*), & ubi *palatia Lycurgi, postquam*

(*) Videatur Longinus p. 110, edit. Tollii.



adparuit Bacchus mirabiliter sacro furore commouentur τὰ τῆ λυ-
κέρρον βασιλεια κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τῶν Διονύσου θεοφορεῖται

Ἐνθουσια δε δαμαε Βαυκχευει σεγη.

Numine afflatur iam domus, bacchatur tectum.

Prome-
theus forte
non in sce-
na actus.

Restant mihi adhuc pauca monenda, quae seu ab aliis omiſſa, Siue non ita, vt par est, tractata sunt quaeque praesertim ad actionem poematis in scena spectant. Vehementer dubito, quin haec tra- goedia coram populo vnquam acta fuerit. Saepe mecum animo reuolui at vero nunquam mihi probari potuit aliquorum opinio, qui Prometheus vere actum esse putant. Nimis elegantissimus alias poeta, contra *πρεπον*, quod vt in re comica ita praesertim in tragoedia obseruandum est summa diligentia, peccasset, & quid contra *πρεπον* theatri? contra omnem eius naturam apud veteres istorum temporum, quid quod contra ipsam religionem, si eam in Scenam produxisset. Varia occurrunt in Aeschÿlo, quae hoc ve- tant credere: qualis est Oceanidarum in aëre sedes, vbi totum illud colloquium cum Prometheo habuerunt, quod est a v. 128- 272. quod ex iis, adparet, quae Prometheo eas descendere iubenti, respondent;

Νυν ἐλαφῶ (inquit Oceanidarum chorus) ποδὶ κραι-
πνοσσυγῶν

θωκεν προλιπεσ', ἀμθερα δ' ἄγγων

πορον ἰωων, ὀκρυοεσσι

χθονὶ τῆδε πελω. = =



*Nunc leui pede celeriter mobilem
Sedem relinquens aëremque purum
Campum volucrum, ad asperam
Hanc terram accedo - - .*

Quid vero est, quo vectus ad Caucasum accedit Oceanus? Quid, si fuerint Cherubi? bone deus? Nescio sane, quale monstrum fuerit: Volucris genus fuisse videtur; dicit enim:

*Ἦκω δολιχῆς τερμα κελυθε
Διαπειψάμενος πρὸς σε προμηθευ,
Τὸν πτερυγῶκή τευδ' ὀϊων
γναμνι σομῶν ἀτερ εὐδυνῶν.*

*Venio longum itinervis spatium
Emensus ad te Prometheus
Hunc alitem pennis velocibus
Imperio sine lupatis gubernando.*

Nec possum Iōnem praeterire silentio de qua praesertim disputatum est, num in scena acta sit, nec ne? Et si acta sit, qua specie, num virginis, num vaccae, num virginis cornutae? Quot sententiae, tot mihi occurrunt vitia, seu vt ego lenissime dicam, difficultates. *Dacrius* eam vere sub vaccae symbolo adfuisse putat, in Theatro fortassis posita vacca, loquente vero ex machina homine. Postulant, praesentiam vaccae varia tragoediae loca, vt v. 590. 644. 675. Sed quis vnquam ita laeserit decorum scenae, vt vacam

E

ante



ante spectatorum oculos sistat? Quidni? vidi aliquando equum in scena pedis ictu horarum discrimina indicantem: Recte! Theffalis & Sannionibus haec permittimus; Tragicis nunquam. *Brumoy* (*) vidit hoc discrimen; sed facili negotio solui posse putat, si aliquo insigni ornetur Iö, Metamorphosin eius indicantem. Verum est, valde probabilem esse hanc coniecturam, & ipse recorder comœdiae, qua puella vespertilionis insigni erat praedita: Sed, quam artificiosa etiam sit haec explicatio, dura tamen est, & ridicula; poeta vero iis pictoribus similis mihi videtur, qui, vt *Aelianus* narrat, Tabulae adscripserunt, τῆρο βῆς, hoc est bos, ἐκείνο ἴππος, illud est equus, τῆρο δὲνδρον, hoc arbor. Quod vero ad machinas attinet, minime nego multa iis posse effici in spectaculis, & artis & pompae in romanorum spectaculis antiqui scriptores testes sunt ereberrimi. Sed tempora probe distinguenda sunt. Nemo mihi persuadebit, in theatris tempore Aeschyli eam artem fuisse adhibitam, ac Neronis sub imperio: nam quae huius temporibus ad virilem aetatem iam peruenerat tragoedia, & omni decore & ornatu splendida incedebat, Aeschyli temporibus in prima erat aetate, & quasi, tremebundis passibus ambulans, balbutiendo voces efferebat & vagibat. Idem iis respondendum est, qui mihi fortassis Aristophanis Ranas & Nubes obiciant, quas ex *Aeliano* aliisque scriptoribus coram populo actas esse scimus. Quodsi tandem quis ἀσεβείαν vrgere velit, ob quam in quodam Dramate, Aeschylum damnatum fuisse, idem docet *Aelianus*, loco, cuius supra mentio facta est; de Prometheo, ἀσεβείας licet plenus sit, constat, hoc

non

(*) *Teatre des Grecs*,



non esse accipiendum, sed de alio Dramate a Platone citato *Lib. II. de Republica p. 391. edit. de ao. 1534. fol.* Grato vero animo semper agnoscam, si quis me hac in re meliora docere, atque siue ex historia, siue antiquitate probare voluerit, hanc tragoediam coram populo actam esse, simulque tollere dubitationes, quae mihi in mentem venerunt.

δ τραγωδία
Πολυ και πολλα βεβαι
'Ορθα διακρινει φρενι μη παραπαινον
Δυσπαιδες.



non est recipiendum sed de his dicitur in Paganis de
de Paganis de his dicitur in Paganis de
de Paganis de his dicitur in Paganis de
de Paganis de his dicitur in Paganis de
de Paganis de his dicitur in Paganis de
de Paganis de his dicitur in Paganis de









01 A 6625

ULB Halle
002 934 191

3







IOANNIS AVGVSTI STARCKII
SOCIETATI REG. TEVT. GOETT. ADSCRIPTI

DE

A E S C H Y L O

ET EIVS IMPRIMIS TRAGOEDIA

QVAE

PROMETHEVS VINCTVS

INSCRIPTA EST

LIBELLVS.

- - Personae pallaeque repertor honestae
Aeschylvs & modicis instruit pulpita tignis
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.

HORAT.

GOTTINGAE

APVD VICTOR. BOSSIEGELIVM,

EX OFFICINA SCHVLZIANA. curante F. A. ROSENVSCH,

CID CCLXIII.